

Illa ergo idea et constans pugna pro sic dicto juris patronatus nobis est unum argumentum magis parochias eorum ex proprio fundatas esse. Quia hac idea ducti, in fervore suae activitatis, dicamus eam architectonicae, inde ab 1854 quam maxime poterant profusione totius pecuniae sive a benefactoribus dono acceptae, sive ex praestationibus consuetis bene custoditae, Franciscani fundabant parochias.⁷² Ex foundationibus autem illis non jus patronatus, sed unio parochiarum respectivis conventibus orta est; idque unio plenaria seu incorporatio. Hoc evidens erit ex notione unionis plenariae et juris franciscani in parochias.

Incorporationem Wernz-Vidal sic describit: »...singularis quaedam species unionis officiorum illa est, quae a canonistis dicebatur incorporatio, quae in eo consistit, quod officium quodam ecclesiasticum collegio vel instituto, v. g. monasterio, seminario, capitulo (vel praebendae et dignitati) realiter et in perpetuum cum certis effectibus unjatur«. ⁷³

Ex diversis effectibus qui de hujusmodi unione sequuntur, distinguitur incorporatio non pleno jure, pleno et plenissimo jure.

In incorporatione semipleno jure unio cum respectivo conventu fit quoad temporalia tantum,⁷⁴ obligationes vero

nota 181; casum cum episcopo Barišić p. 144; persuasionem tunc temporis vigentem provincialis jus esse parochias fundare, Vicarii vero Apostolici eas erigere, p. 146 sq.

⁷² Quaedam exempla jam memoravimus p. 153 ss. Hic liceat notare illo tempore miram aemulationem inter Franciscanos parochos fuisse, quis eorum magis suo labore et parsimonia ad domorum parochialium ac ecclesiarum aedificationem conferret. Superiores regulares, sub quorum vigilantia et directione omnes fabricae erigebantur, bene meritos in aedificandis domibus etc. titulis honorificis ornabant. Cfr. Arch. Provinciae Sarajevo, Prot. Prov. III, non paginatum: »Pia mater provincia excitare cupiens filios suos ad sedulo laborandum in vinea Domini: tempore ultimi capituli decrevit praemiare eos, qui... non solum muneri parochiali satisfecerunt; sed etiam solidas domus parochiales, aut ecclesias exstruere, et agros, vel prata proprio conatu acquisivere«. Et passim in toto Protocollo.

⁷³ Wernz-Vidal, o. c. III, 82; pro historia evolutionis hujus institutionis cfr. Pöschl A., Die Inkorporation und ihre geschichtlichen Grundlagen, Archiv für kath. Kirchenrecht, CVII (1927) 44—177; 497—560.; Jeličić, l. c. 77—87.

⁷⁴ Sub temporalibus intelligitur illa dos beneficii de qua can. 1410.